GREGORIJ PICCHAE V.I.D. ORATIO AD SIXTUM 5. PONT. MAX. ALIOSQ. CHRISTIANOS...

Gregorio Picca





CARMEN EIVSDEM

Ad Sixtum V. Pont. Max.


Restituis Delubra, vias, & menphica saxa:
Pristina Romuleis, sanctaq. iura refers.
Quos olim Cæsar, diuisos orbe Britannos
Subdiderat Romæ, reddere Sixte para.
Exultant Montes, Leo vincit, Sidera fulgent
Quid trepidas FAELIX? numina cũcta fauent.

Distichon ad Principes.

Reddite quę Christi, Proceres iam reddite Christo
Anglia sit Christi, parta trophæa Petri.

ALEXANDRO PERETTO CARD. AMPLISSIMO ET PATRONO SINGVLARI

Gregorius Picca V.I.D. S.





VM superioribus diebus opuscula nonnulla in lucem dederim, Cardinalis Amplissime, quorum vnum de humanarum voluptatum displicentia, vt hoc vtar verbo, Camillæ Perettæ matronæ prudentissimæ Auiæ tuæ. Alterum Horologium spirituale nuncupatum, Flauiæ, sorori tuæ Virgini honestissimæ. Tertium de humanæ conditionis varietate Michaeli fratri dicaui, in amoris mei, ascriptitiaq. seruitutis, quibus in Perettam familiam deuinctus sum, argumentum: & quidpiam mearum lucubrationum tuo nomini obtulissem. nisi me de tuæ dignitatis magnitudine cogitantem muneris exiguitas ab instituto reuocasset. Verum cum illud Regis Persarum Artaxersis præclarissimum oraculum subuenisset: Non minus regium esse parua recipere, quàm magna dona-

donare; cum hoc à rerum copia, illud à liberalitate, animiq. ingenuitate exoriatur; non dubitaui, orationem hanc de Britannico bello indicendo, à me in aßiduo memorialium labore occupato minus fortaſſe elucubratã tuo nomini indicere, tuoq. patrocinio committere. Et vt munuſculum, qualecunque ſit, eo quo deſero animo ſuſcipias, meq. in tuorum numerum aſciſcas obſecro, atque obteſtor. Interim pro animi voto vale, ac diu feliciſſime viue. Ex Palatio, quarto idus Aprilis M. D. LXXXVIII.





GREGO-

GREGORII PICCHAE V.I.D. ORATIO

AD SIXTVM V. PONT. MAX. aliosque Christianos Principes, & Respublicas.

Pro Britannico bello indicendo.





I quando aut Christianæ religionis zelus, aut imperij dignitas, aut publici honoris, vtilitatisq. amor, aut desiderium tyrannidem excutiendi, aut ardor nepharia arma propulsandi, optimi Principis animum incendit ad bellum sæuissimis hostibus indicendum, ad infesta reprimenda arma, hoc sanè tempore (Maxime Sixte, vosq. ceteri Christiani Principes, ac Resp.) zelus, dignitas, amor, desiderium, & ardor animos vestros coniungere, coniunctos inflammare, & impellere debent ad graue, iustum tamen bellum Britannicis hostibus indicendum; ad ipsorumq. tela reiicienda, ne in dies magis exultent impune, & in Catholicos sæuiant magis. idque à vobis omnibus maxime curandum est. Et licet hanc dicendi prouinciam sæpius ante hac subire decreuerim, cum omnium voce, non tamen sine lacrymis Anglicanæ Helisabetæ impietatem, contemptum, sæuitiam in Christianam religionem, in Dei Opt. Max. templa, in sacerdotes, in sacratissimas virgines, in pontificiam dignitatem, in catholicos, tyrannidem

in suos

in suos audiuerim. verumtamen à peroptato huiusmodi instituto frequentius sum reuocatus. noueram enim nullius esse tantum ingenij flumen, nullius dicendi aut scribendi tantam esse copiam, quæ huius belli necessitatem complecti posset, vel pro animi sententia ante oculos ponere. noram ingenij mei imbecillitatem, cum parum vsu, minusq. industria valeam, nec tantæ sim authoritatis, vt tot tantosq. Principes excitare, & commouere possim ad id, quo maxime pro pietate coguntur. Noueram Sixte tuam in religione tuenda vigilantiam, cui sic inhæres, vt tuo nutui fortissimos parere Principes, & Reges compuleris; nec non admirabilem prudentiam, qua, a me dicenda & maiora exactissime perpendis. noueram demum in hostibus ac perditis hominibus profligandis solertiam, qua tecum celeritate conficiendi neminem conferri posse censeo. quæ omnia ita magna in te esse, fatentur omnes, vt ea cuiusq. mens aut cogitatio capere non possit. his vero atque aliis rationibus distractus, hucusque hanc dicendi prouinciam distuli: tandem quodam latentis pietatis impulsu excitatus, ac nescio, quo diuini spiritus afflatu incensus, dum necessarij belli expeditionem protrahi viderem ardentissimum animum meum amplius cohibere non potui, quin pudoris, quo detinebar, metam superarem. & si temere potius, quàm satis prudenter tantum munus suscepisse viderer; cum tanti me non existimem, vt rem adeo arduam perficere valeam, sed alios fortasse ad vberius suadendum inflammabo, viamq. aperiam, ne diuturnior mora fiat: idq. non temeritati, sed pietati potius vt concedatis obsecro optimi Principes. Omnium profecto est, huius suscipiendi belli onus, sed tuum præcipue, Sixte, nam & si laus tua ea sit, quæ vigebit memoria sæculorum omnium, quam posteritas alet, quam ipsa æternitas sæpius intuebitur; quæ iam pridem multa habet, vt miretur. obstupescent posteri rerum tuarum præclarissime gestarum monumenta audientes & legentes tua. hæc tamen ipsa gloriæ quidem tuæ satis non sunt, cuius te auidissimum (& si sapiens sis) non negabis. hoc prætermisso bello, tantum abes à perfectione maximorum operum, vt fundamenta, quæ cogitas, nondum ieceris. Siquidem gloria est illu-

illustris & peruagata multorum & magnorum vel in Christianā religionem, vel in Vrbem, vel in omne genus hominum, fama meritorum tuorum. hæc igitur tuarum laudum reliqua pars est, hic restat actus, hic elaborandum est, hoc summum tuæ fortitudinis encomium; à tua pendet voluntate, firmissima es petra, super qua hoc iaciendum fundamentum. capite namque iubente, aliorum est membrorum iussa capessere. si hoc ipsum perfeceris, nulla vnquam tuas laudes erit obscuratura obliuio. & ne vlterius, quàm rei ratio postulat, progrediar; bellum, de quo agendum est, indicendum fore proculdubio dubitari non debet. siquidem iustum est, necessarium, & vtile, nec non facile, etsi quoquomodo graue appareat. iustum religionis, catholicæ fidei, ac sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ causa. necessarium ad Pontificiam dignitatem, publicumq; honorem seruandum. vtile ad immanissimæ hostis sæuitiam & tyrannidem retundendam: facile demum ratione temporis, loci, & hostium, quorum singula, si vberius percurrantur, vtiq. certissima erunt. à fælicissimi Christi natalis die, ad hæc vsque tempora, & à Cherinto & Ebione, ad impurissimos hæreticos Lutherum & Caluinum; vltra centum septuaginta hæresiarcharum, schismaticorum, apostatarum, nephariis linguis, calamo, libris, & armis, Christianam religionem, orthodoxam fidem, Romanam Ecclesiam vexatas, & impugnatas esse memoriæ traditum est. nunquam tamen auditum fuit, ad tantæ temeritatis, & audaciæ culmem peruenisse mulierem, vt hæresiarchæ nomen sibi vendicauerit, ad catholicam veritatem impugnandam. mulier cui quacunque lege, etiam apud immanissimas gentes sacra pertractare, interdictum est, vel propter sexus fragilitatem, vel consilij inconstantiam, vel vitæ impuritatem; mulier in Christianissimo olim regno enutrita, quod Christianam religionem, catholicam fidem, Romanam authoritatem adeo venerabatur. quòdve tot sanctissimis floruit Regibus, qui pro eadem catholica religione sic decertarunt; vigilesq. ad defensionem fuerunt, vt nil vltra fuerit expetendum. nunc Caluini illusionibus hæc allecta, tanto in catholicam fidem furore corripitur, vt omnibus viribus in hoc ipsum intendat, & ne liuore

uore potius, quàm veritate ductus hæc in medium attulisse videar, nonnulla publica ipsius edicta, ac nepharias leges breuibus hic annotare consentaneum duxi. Edicta enim sunt, bonorum, sanguinis, & capitis. quorum verba quantæ sint temeritatis & muliebris vesaniæ vt acutius perpendatis obtestor. Si quis ad protestantium (hoc enim nomine Caluinistæ nuncupantur) ecclesias venire recusauerit, ad caluinisium audiendum pœna 66. aureorum puniatur, & in carcerem detrudatur, donec soluerit. Qui missam (etiam si secreto) audiuerit, per annum carcere puniatur, & aureos 211. persoluat. Sacerdos, qui sacrum fecerit, carcere non exeat, nisi anno expleto, & solutis 422. aureis. Pedagogum nemo domi retineat nisi ab Episcopo caluiniano approbatus, 33. aureorum pœna quolibet mense. Qui vnitati Ecclesiæ Romanæ reconciliauerit aliquem, vel alium reconciliantem sciuerit, nec infra viginti renunciauerit, quibuscunque bonis priuetur, & decorpore ad arbitrium statuetur. Qui nouerit quempiam alicui consilium dedisse ad reconciliationem Ecclesiæ Romanæ, nec propalauerit, eiusdem pœnæ fiat obnoxius. Qui sibi persuaderi passus est, vt in Ecclesiasticis pareat Romano Pontifici eadem pœna plectatur. Sacerdos, qui aliquem absoluerit, eadem pœna puniatur. Qui dissuaserit Caluinisium amittat omnia, quæ mortalibus in hac vita commoda dare potest: hæc & alia sunt de pecuniariis pœnis edicta; capitalia nunc audiantur. Qui Agnos Dei, rosaria, grana benedicta, medallias, Crucifixos in Angliam exportauerit, læsæ maiestatis reus erit. Qui aliquem Ecclesiæ Romanæ vnitati reconciliauerit, eidem pœnæ læsæ maiestatis erit obnoxius; reconciliatus eadem pœna puniatur. at quæ in pontificiæ dignitatis contemptum ediderit silentio prætereunda censeo; & hæc tantum retulisse sat erit. Qui negauerit reginam esse supremum caput Ecclesiæ Anglicanæ in causis Ecclesiasticis priuatione omnium bonorum ac perpetui carceris pœna puniatur. Qui dixerit, vel quouis modo significauerit, Reginam Anglicanam hæreticam esse, vel schismaticam, erit pœnæ læsæ maiestatis reus. Quicunque dixerit Romanum Pontificem, esse caput Ecclesiæ Anglicanæ, vel vllam habere ibidem in Ecclesiasticis iurisdictionem,

Anglicana edicta in catholicos.

nem,

nem, vel ad eum vlla de causa appellauerit, eadem pœna plectatur, qua Reip. proditores plecti solent. At si legũ verba dura & aspera sunt, forsitan iniunctæ pœnæ mitiores erunt? percipiatur quæso pœnarum forma. Condemnatus, terra prostratus in locum supplicij in maiorem cruciatum semistranguletur laqueo, deinde ad se redeunti virilia amputentur, & igne comburantur: tum cultro aperiatur venter, & erutis illis, etiam cor, & viscera spiranti adhuc, & reluctanti manu carnificis euellantur, & in ignem iuxta positum proiiciantur: deinde elixus, & in partes dissectus, ad varias ciuitatis partes suspendatur: bona autem ad fiscum transeant absque aliqua diminutione: perpetua notetur infamia, omnisq. mortui posteritas sanguinis stemmate priuetur. Proh dolor, sunt ne leges asperrimæ? Potuere ne vnquam Scithæ, Procustes, Mezentius, Diocletianus, Nero, Decius, Maximinus, Tiberius, Calligula, Phalaris, Ezzellinus, immanissimi Tyranni sæuiores alias inuenire? nullum profecto facinorosorum hominum genus pluribus potuit circumdari legibus, includi pœnis, subiici periculis, exponi damnis, quàm Catholici, in his Angliæ legibus exponuntur, ac subiiciuntur: sed vtinam his sæuitiæ terminis, animi acerbitas contineretur: nam nec quidquam in vllo calamitatis genere luctuosum effingi potest, quod in dies nõ exerceatur à ferina rabie. Ludibria & verbera catholici experti sunt, insuper vincula & carceres, distenti sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt, quamplures sunt in Anglia præscripti asperrimi carceres, ac latomiis fætidiores ad catholicos macerandos. Lansonensis in Cornubiensi prouincia, qui potius spelunca & specus, quàm carcer dici debet. Ergastulum Eboracense, non minus putridum, Londinensis quo tandem catholici omnes comprehensi ad supplicium ducuntur, ibidemq. arctissima custodia seruantur, & grauioribus cruciatibus, quàm in æneo Phalaridis tauro vel Herebi centro torquentur. Cibus non datur nisi putidus, & ostiatim emendicatus, nec vsus aquæ nisi corruptæ, nec alius locus ad corpora purganda nisi area, in qua angustiati discumbunt. Lectulo & indumentis quibuscunque subtractis, humo cubare, ac somnum capere coguntur. Si quis ob nimiam lassitudinem

Iniustæ pœnæ in Catholicos.

Anglicani carceres.

B forte,

forte ſubrepat, hinc quàmplures frigore, quo aquilonaris regio afficitur, breui dierum curſu conſumpti perierunt. Sacerdotes vero in arcem, Strateford, nuncupatam detruduntur, in arctiorem cuſtodiam, deuiam, obſcuram, vbi nec ſolis, nec luminis, nec hominum fruuntur aſpectu: ferro ibidem, ac omnium tormentorum calamitate premuntur. hæc & grauior eſt carceri mancipatorum conditio. Qui verò foris ſunt catholici perpetuis vexationibus tamquam fluctibus, & ventis agitati iactantur: quocunque in loco pedem imponunt, quacunque via incedant, vel itineris anfractu, paratas inſidias, ac luctuoſa ſpectacula inueniunt: alij fugientes, alij latitantes, alij mentita veſte, ſalutem clam quærere nituntur: nonnulli dumetis, & ſiluis latitantes, inedia, & fame pereunt: nonnulli per campos verſantur interdiu, ſub obſcura nocte tecta repetunt, in quibus nec ad horam tuti ſunt: ſatellites namque vi magna ſepiunt lares, ne quis effugiat, loca ſingula ſcrutantur, mulierum, & virginum cubilia rimantur, omnia euoluunt ſcrinia, arculas, vt quid inueniant, quod religionis inſimulent, vel in crimen trahant, vti ſunt, ſacra vaſa, libri, veſtes, aliaque eccleſiaſtica ornamenta, quæ iure prædationis ſubripiunt. Si qui inuenti comprehenduntur ad iudicium, ad paratos carceres ducuntur. at quo modo? quibus ludibriis trahantur, non alienum iudico ab inſtituto recenſere, vt animis veſtris magis ipſorum pietas imprimatur; & maior ad ipſum bellum inferendum ardor excitetur. Sic cõprehenſi macris equis ſine fræno, ſine calcaribus, ceteroq. equeſtri apparatu imponuntur: equitantibus pedes, ſub equorum pectoribus, brachia à tergo reuinciũtur: equi longa ſerie alter ad alterius caudam ſubnectuntur: cum ad vrbes, vel oppida prope accedunt, eſt qui præcurrat renunciaturus incolis, aduentare papiſtas, hoſtes Euangelij, & Reipub. inimicos: qua voce populus excitatus gregatim accurrit, & aduentantes, quibus poteſt, excipit contumeliis, & riſu. Bone Deus nec Scithas, nec Getulos, neque Traces, neque Turcas, vel ſi qui alij ſunt veriores Euangelij hoſtes, qui verum Deum nunquam coluerunt, & in ſpeluncis degũt, hæc commentari in Chriſti membra audiuimus. Nullus profecto populus Chriſtianis placitis, vel ritibus inſti-

tutus,

Strattford ſacerdotũ carcer.

Catholicorum extra carceres Anglicana vexatio.

tutus, vel aptior ad humanitatem, vel promptior ad munificentiam, vel æquitatis amantior, vel propensior ad misericordiam, quàm Britannicus, natioq. Anglicana: nunc exitiali hæresi imbuta, letalibus odij venenis infecta, amoris visceribus laceratis, æquitatis, ac misericordiæ vinculis dissolutis, religionis fundamentis sublatis, Caluini impurissimi hominis vestigia sectans, nefaria dogmata complectens, tota errans via, in immanissimam hanc irrupit insaniam, vt paternum, fraternum, ac aliorum coniunctorum tanta rabie nitatur effundere sanguinem. Hæc nam est Caluini pietas? hiccine Caluinisij amor? hæc misericordia? miseri Britanni, quis vos fascinauit? quis vos in hunc tradidit reprobum sensum? vt credatis ineptissimum Caluini figmentum purius esse, purgatissima Gregorij, Hieronymi, Ambrosij, Augustini, Athanasij, Nazianzeni, Bonauenturæ, Aquinatis, & aliorum plurimorum doctrina; qui vitæ sanctitate, & Euangelica lectione, sacrosanctam Romanam Ecclesiam illustrarunt, vt ve credatis Romanam Ecclesiam, qui per mille quingẽtos octoginta octo annos certissima ducentorum triginta Pontificum successionẽ a beato Petro ad Sixtum V. roboratam, a tot sacris œcumenicis Conciliis firmatam, à tot Hæresiarcharum, Schismaticorum, Apostatarum impugnationibus vexatam, ab vndecim validissimorum Imperatorum armis afflictam, nec veram esse, nec in Petri solidissima petra fundatam, nec ipsam claram Euangelij lucem sectari: cum inconcussa diuturno tempore fuerit, sit, & tamquam aurum igne probatum perseueret, tamquam oliua speciosa in campis, lilium in conuallibus, platanus iuxta aquas, & cedrus libani in dies vberius virescat, & veluti fœderis Arca in Sion fulgeat magis? eritne forsitan verior Anglicana, vel firmior? quis nã fundauit? Caluinus, e cælo, vel terræ cẽtro emissus? quibus fulget miraculis? Lutheri, Melãtoni, & aliorum, quos recensere nefas esse duco? qua in petra superædificata nisi in arena sensualitatis? quo tẽpore? quo inoleuit Caluini carnis libertatis feruor? qua auctoritate fulta? nisi instabilis mulieris, ac Anglicanorũ conciliabulorũ? Britannia olim vrbibus XXII. Episcopali dignitate, ac nobilissima Cõtubriensi metropoli insignita, quã adeo catholicam religionẽ co- *Britannia 22. Episc. insignita.*

 luisse

iuisse audiuimus, vt Britannorum Iobilei anno ad Romanam Vrbem maximo in numero fidei feruore accurrentium, quàmplures ad Adriani pontem ab ingēti multitudine compressi sub Micolai V. Pontificatu perierint. N unc Romanæ Ecclesiæ dignitate posthabita, ad impium Caluini dogma profitendum conuersa est: nunc strenuissimi Barones sæuissimis mulieris edictis obtemperantes, abiurato Romano Pontifice, vero Christi, ac Petri successore, impio Caluino inhærent: nec mulieris audacia his continetur finibus. Hæc vestra, optimi Principes, abutitur patientia, ipsius iam diu vos cludit furor, nititur in dies in communis honoris detrimentum, ac damnum: hæc piratarum classe parata, eidem Dragum archipiratam immanissimum, vigilantissimumq. præfecit: qui die noctuq. exultans euagatur: Flandriæ, Piccardiæ, Galliæ, Lusitaniæ, Hispaniæ freta lustrat: sinus, littora, & portus notat: naues prædatur, & incendit: captiuos accolas vel ducit, vel interficit Christianum denique orbem cæde, atque incendiis vastat. Christiana vero arma religioni honoriq. satisfecisse videntur, si huius furorē ac tela vitent. Interim Dragus iste auidissimus circumcirca omnia vestra vorat. Quid vltra? compertū est, mulierē hanc intestinā Christianæ Reip. aliquam perniciem molientē, & in dies eiusdem crescere audaciam. non ne proximis diebus Mariam Scotorum Reginam, mulierem sanctissimam & honestissimam sibiq. sanguine coniunctam post diuturnam carcerationem leuissima de causa iussit interfici? huius innocens sanguis inertiæ vos damnat, & vt ad vindictam concurratis obtestatur. Sæuit hæc in Religionem, in Ecclesiam, in Pontificem, in communem honorem, in catholicos, in suos, acrius inuigilat in omnium perniciem de omnium interitu, de Vrbis, & Orbis exitio semper cogitat, hanc igitur tam tetram, tam horribilem tam infestam Christianæ Reip. pestem delendam, eiusque nefarios conatus comprimendos esse necesse est, quousque erit hæc petulantia ferenda? cum nullum per tot annos facinus extiterit, nisi per ipsam, nullum flagitium sine ipsa, huic vni multorum vexatio, direptio, cædes impunita fuit, & libera. Hæc non solū ad negligendas leges, verum etiam ad euertendas perfringendasq. inualuit. hæc ea est, vt pudor a turpitudi

Dragus anglicanus archipirata.

Maria Scotorum Regina interfecta.

ne,

ne, metus à periculo, ratio à furore reuocare non poteſt: ad eam amentiam natura ipſam peperit, voluntas exercuit, fortuna ſeruauit, vt niſi veſtris armis comprimatur, ardentior, & promptior in dies fiat, tantisq. vexationibus & iniuriis laceſſiti, irritati, impulſi, inuicti Principes neceſſarium pariter & iuſtiſſimum bellum indicere, & perficere, vt enixe curetis neceſſe eſt, ad Religionis defenſionem, ad Romanæ Eccleſiæ, Pontificiæq. dignitatis, tutelam ad publici honoris gloriam, ad totius Chriſtiani orbis vtilitatem, ne dicam neceſſitatem, hoc ipſum à vobis expetunt, obteſtantur omnium bona, fortunæ, liberi, pulcherrima Italia, fæliciſſima vrbs Roma, clariſſimi, ſanctiſſimiq. Imperij domicilium. Britanniæ templa, delubra, ſacra tecta profanata, integerrimæ iam violatæ virgines, tot martyrum effuſus ſanguis: viuentium catholicorum aſſidua vexatio, & ni fallor etiam ipſorum proteſtantium interna voluntas, cum ad nauſeam vſque coniunctorum neces, & cruciatus proculdubio ſpectent, nec credendum omni ſaltem interna eos carere pietate, dum in propinquos ferina rabie, & omni tormentorum genere inuehi ſpectant. Excitant & vos vltimo loco ſilentes inuicti Cæſaris cineres, cum inſulam ſumma vigilantia, grauioribus periculis & ſi breui temporis curſu Romano imperio ab ipſo ſuppoſitam, nunc mulieris armis ac petulantia ereptam ſentiat. Iam igitur indicite bellum, ſi quidem non tantum prudentia. humanisq. conſiliis (quibus maxime præditi eſtis) ſed etiam Dei Opt. Max. auxilio valetis, ſic vt ex animi voto omnium hoſtium copiis mare terraq. ſuperatis perficietis, cum de religione, & pro diuino cultu certandum ſit. qui hoſtes religionis cauſa ſuperati non ſunt? quæ pericula non euitata? quæ vires non confractæ? non ne ante oculos quamplurima tum vetuſtiſſima, cum recentiora exempla & monumenta verſantur? quibus aperte liquet Deum Opt. Max. religionis violatores, genus ſuum electum infeſtantes, leui manu deleuiſſe, diſperſiſſe, ac potentes de ſede depoſuiſſe, ope & armis probatiſſimorum virorum? hinc Moſes rubro adaperto mare, in eodem demum clauſo, Pharaonem ipſiusq. exercitum ſubmergit. Hinc Ioſue diuini verbi iuſſu nixus, leui militum manu, tubarum clangore ſtrepentibus

Britannia a Cæſare ſubiugata.

Ioſ. 6.

pentibus vocibus anathematis Hierici muros proſtrauit, vr-
Ioſ. 8. bemq. diripuit. Hai munitiſſimum oppidum expugnauit, re-
gem ſuſpendit,& aliorum quinque regum ad ſuperbiam retun
dendam colla pede calcari iuſſit: ſolemq. ſtare, donec hoſtes
Iud. 7 ex animi ſententia profligaſſet. Hinc Delbora & Barac Siſaræ
falcatos currus eiuſdemq. vniuerſum exercitum in ore gladij
vno die percuſſerunt:& eundem clauo Iahel interemit. Hinc
Iud. 15. Gedeon trecentum tantum viris bellatoribus, tubarum ſoni-
tu, ac luminibus lagenis incluſis Madianitarum munitiſſima
caſtra media nocte proſtrauit. Hinc Samſon maxilla tantum,
ac pulli mandibula mille ex Philiſtæis deleuit, qui in ipſum
1. Reg. 17. irruerant. Hinc Dauid adhuc imberbis baculo tantum, & fun-
da incircumciſum Goliam exprobrantem Dei viuentis acies,
elatum vndequaque armis, aurea caſſide, ac graui lorica in-
2. Reg. 18. dutum interemit:& rurſus Abſolonem filium ſibi reluctantem
Architofellis conſilio magno belli apparatu, leuioribus copiis
deuicit; & ſæpius aduerſantes hoſtes ſuperauit: non enim pa-
Iud. 8. titur Deus diu impiorum malitiam euagari. Hinc Holofernes
Aſsyriorum ductor, qui centum viginti millibus peditum, &
duobus, ac viginti millibus equitum Hieruſalem templum-
que diripere tentabat, nec non Betuliæ oppidum, à Iudit
obtruncatur; vniuerſusq. profligatur exercitus. Hinc Iudas,
1. Mac. 9. Ionatas, & Simon fortiſſimi Machabæi, religionis zelo incen-
& 19. ſi, vt ſancta, templum, patriam, ſuoſq. armis defenderent,
ab Antiochi, Demetrij, Nicanoris, Trifonis, & aliorum im-
petu, exilibus militum turmis certamina ineuntes, validio-
res hoſtium copias deleuerunt, victoriamq. reportarunt: à viri
namque peccatoris verbis vel armis minus timendum eſt, cum
gloria eius ſtercus, & vermis ſit: hodie extollitur, cras non
inuenitur, quia conuerſus in terram, omnis eius cogitatio pe-
Pro reli- rit. Hinc Heraclius imperator pro religione contra Coſdroen
gione cer- Perſarum regem decertans victricia ſigna refert. Hinc Con-
tantes vi- tra Maſſentium prælium committens, audita voce, crucis ve-
ctores. xillo in nubibus effulgente, In hoc ſigno vinces, vicit, hoſteſq.
ſuperauit. Narſetes eunuchus, vir quidē religioſiſſimus, quod
vnquam bellum commiſit, quod ſumma gloria non perfece-
rit? ſic, vt Italiam Gothis, Vandalis, cæteriſq. immaniſſimis
hoſtibus,

hostibus, qui sacra diuinaq. polluerant, expurgauerit. Quid de Christianissimo Carolo Magno Francorum rege dicam? qui toties inimicorum Romanæ Ecclesiæ infesta tela contriuit, & Longobardos iamdiu exultantes, ac Dei Ecclesiam perturbantes, ad Ticinum, Desiderio superato, proprias repetere sedes compulit. Quid de Pipino? quid de Honorio optimo Principe in Arrianos referam? at quid vlterius euagabor? quid de inuictissimo, & catholico Carolo V. dicam? qui religionis impulsu non multis ab hinc annis Germaniam hac ipsa labe pollutam, terræ tractu latissimam, montium asperitate, fluminum magnitudine, siluarum, & paludum frequentia, hominum fortissimorum numero, fere inexpugnabilem, equitum, peditumq. ac bellicorum instrumentorum multitudine copiosam, rigente hieme, sex mensium spatio subegit, cum Cæsar decem annorum cursu vix Saxonum limites attigerit. Magna quippe est religionis vis, & frustra contra exercituum Dominum certatur. durum namque est contra stimulum calcitrare. Quomodo irascatur Deus in templorum violatores, & sacrorum profanatores facile antiqua recensentibus apparebit. Leuitæ nanque alienum ignem sacrificio adhibentes, morte mulctati sunt. Ozias, qui Arcam testamenti ne caderet, indigne tetigit, continuo periit. Ieroboam manus, quā in virum Dei extendit, illico aruit. Iezabel quoniam prophetas interfecerat e fenestra deturbatam canes consumpserunt. Manasses quoniam templum profanauerat, excelsa arasq. Balaim construēdo, nec non Iudam seducendo, ab Assyriis victus, catenis, ac compedibus vinctus, captiuus in Babiloniā ductus regno priuatus fuit. Balthassar Assyriorum Rex, quoniam aurea, argenteaq. vasa ex sacro Hierusalē templo à Nabuchodonosor patre sublata in conuiuio profanauerat vnius noctis cursu, regno vitaque pariter priuatur. Crassus tamquam alter Mida auarissimus, quoniā sacros eiusdem templi thesauros subtraxit, in Parthos signa mouens, cum filio, ac toto fere exercitu trucidatus fuit. Pompeius etsi à templi sacris abstinuerit, tantumq. equos in porticum introduxerit, Pharsalico prælio cum Cæsare commisso, victus leui scaphula fugam arripiens, ab Achilla Ptolomei Aegypti regis sicario, absciso capite, trucidatur

Caroli magni præconium.

Caroli V.

Breuis Germaniæ descriptio.

Sacrorum violatores castigati.

2. Reg. 6.

3 Reg. 13.

2. Par. 33.

Dan. 5.

Sacra prophanantes quibus affecti pœnis

cidatur

cidatur, inhumato cadauere in littore destituto. Antiochus, qui idem templum diripuit, Israelitas ad extraneos ritus impulit, vermibus vndequaque corpore scatentibus consumptus est. Herodes, qui vt Cæsari satisfaceret, imaginibus polluit templum, theatra construxit, gladiatorios ludos, & spectacula contra iudaica instituta populo proposuit; intestinis doloribus & cruciatibus (tanto fætore, vt ab omnibus destitueretur) miserrime vltimum clausit diem. Cherintus nascentis Ecclesiæ principia hæresi fædans, balnei ruinis oppressus occubuit. Arrius, qui pestifera labe Asiam, Aphricam, & Europam affecit, in naturali necessitate interioribus emissis, moritur. Quid igitur de muliere hac expectandum, quæ Religionem subuertit, veras ecclesiasticas sanctiones spernit, Delubra diripit, sacraria iam expilauit, catholicos cruciatibus af-
2.Reg.22. fecit, & in dies afficit magis? Non ne tandem Deus delebit vti puluerem terræ? quasi lutum platearum non comminuet?
Psal. 88. non confringet? viuit Deus, visitat iniquitates in virga ferrea, & in verberibus peccata, & iudicium sine misericordia
Iac. 2. illi, qui non fecit misericordiam, & cor durum male habebit
Eccls. 3. in nouissimo: & si moram fecerit Deus expectemus illum, quia veniens veniet, & non tardabit, & grauitatem pœnæ tardita-
Abac. 2. te compensat. Quis fortis præter Deum? consumit inimicos, confringit, vt non consurgant, sed cadant sub pedibus eius: clamabunt, & non erit, qui saluet, ad Dominum, & non exaudiet eos. Ingens est immortalis Dei cura, vt religio intacta seruetur; vt templa eiusq. sacra à profanantium manibus immunia sint: custodit tamquam pupillam oculi electos, ac religioni inhærentes, & si aliquando vexari ab impiis annuat, vt fides, constantiaq. probentur; non tamen impune vitam ducũt Crucis hostes, sed graui plectuntur pœna. Plurimorum exemplis reddimur certiores, Maximianum Imp. sæuissimum Christianorum hostem, ac persequutorem post aliquot annos multis variisq. morbis vexatum, post longos cruciatus mentis insania percitum, scelerumq. furiis agitatum, sibi mortem consciuisse, certum est. Domitianum alterum pariter hostem à familiaribus interemptum, quibus non notum? Vt alios complures silentio præteream, quæ igitur sit expectanda pœna, à

sæuissi-

ſæuiſſima muliere diuina humanaq. ſubuertente catholicos vndequaque vexante, ipſa, ſui ipſius conſcia dicat. Paruifacit pertinax mulier ſacroſanctam Romanam Eccleſiam, mente voluat, obſecro, & ſe moto ſui Caluini affectu acutius recenſeat, Eccleſiam ipſam non diuitiis, ſed paupertate fundatam, non armorum terrore, ſed humilitatis feruore, non humanarum ſcieťtiarum ſapiētia, ſed Spiritus ſancti gratiæ affluentia, non Philoſophorum, vel Rhetorum loquacitate, ſed Piſcatorum ſimplicitate, non in agro initiatam, ſed in Romana vrbe propagatam; non blanditiis, & otio erectam, ſed variis hinc inde hoſtium procellis diſiectã; Chriſti morte ſuſcepiſſe vitam; Petri patibulo gloriam, multorum martyrum compreſſione, potentiores affectos eſſe confuſione: ex ludibrio denique, ac deriſu, decorem eduxiſſe, æternum gaudium, & riſum. Hæc omnia humanæ repugnant rationi, hæc ipſa plane tendunt ad deſtruendum cuiuſq. humanæ molis fundamentum. Quid hoc Heliſabeta? niſi ipſam diuino nutu fundatam? diuina gratia auctam? diuina quoque prouidentia conſeruatam? recenſeas adhuc, hanc ipſam Romanam Eccleſiam ſæpius aliò tranſlatam, Antiochiam, Conſtantinopolim, Rauennam, Auuenionem, Mediolanum, vel ad ipſas vrbes, Romanos Pontifices pro tempore acceſiſſe: tandem ad ſacros Romanos lares cæleſti iuſſu rediiſſe. Recenſas etiam ab impij Neronis imperio, ad Iuliani Apoſtatæ verſutiam vndecim acerrimis Imperatorum armis eſſe agitatam, ſemper tamen illæſum ſeruaſſe cãdorem. Recenſeas inſuper Romanæ huic Eccleſiæ Aſiam, Aphricam, Europam olim paruiſſe, & pro maiori nunc parte parere. inſuper Antipodas, nouum atque alterum orbem ambitu Arctico polo maiorem, demum Iaponios, ad orientalem plagam vaſto Oceano trium annorum itinere ab vrbe diſiunctos Romanam Eccleſiam, quam tu contemnis, petiiſſe illiusq. ditioni (vt remotiſſimos Moſcouitas prætermittam) proximis diebus ſeipſos ſubieciſſe. qui omnes ad hanc vti tutiſſimum portum cõfugerunt. Recenſeas denique à Liberio primo Pontifice, ad Martinum V. Columnenſem, quamplurima interceſſiſſe ſchiſmata, in Bonifacij primi pontificatu, Bonifacij II. Siluerij primi, Sergij primi, Ioannis XIII. Benedicti IX. Gregorij VI. Ale-

Eccleſiæ primordia

Romana Eccleſiæ ſtabilitas.

Schiſmata quamplurima.

xandri III. Ioannis XXIII. Vrbani VI. Gregorij XII. & aliorũ quos breuitatis studio silentio prætereundos duco; tot tantisq. schismatum perturbationibus Romanam Ecclesiam vnam superfuisse semper, vti veram & non commentitiam, compertum est. Huic etiam Hierosolymitanam, Antiochenam, Constantinopolitanam, Alexandrinam, Rauennatem, vti aliarum omnium nutrici primum concessisse locum, ac illi seipsas subiecisse. Orientalis Ecclesia in Agatonij primi pontificatu ad huius rediit vnionem, sexta sic synodo declarante. Rauennas post longa interualla, sub Doni pontificatu, huic tandem vnitur. Mediolanensis ab hac ipsa per ducentos annos disiuncta, ad eandem in Stephani noni pontificatu tãquam aliarum omnium parentem reuertitur. Hinc Paleologus Constantinopol. Imp. Gregorio X. Ecclesiam ipsam gubernante, in Lugdunensi concilio tertia decima vice in huius sententiam iuit. hinc iam Lugdunum translata post septuaginta annorum cursum à Gregorio XI. Limouicense diuino nutu ad pristinum Romanum reducitur solum. hinc in Nicæno concilio Bonifacio tertio gubernante, sub Phocæ imperio sancitum, Romanam Ecclesiam, omnium aliarum esse caput. idemq. in Constantinopolitano firmatum. Romæ Carolo Magno Imperatore annuente sub Leone tertio decretum, necnon postremo in Tridentino multorum Patrum consensu comprobatum. Hæc, iamdiu exacta, recentioraq. monumenta minus tibi Helisabeta, satisfaciunt? Recenseas demum Lucium Britanniæ regem ab hac ipsa Ecclesia, & ab Eleuterio summo eius Pontifice sese ac suos in Christianorum recipi numerum literis expetiisse, & à Fugatio, ac Damiano viris sanctissimis illuc à Pontifice trãsmissis baptismatis caracterem summa pietate recepisse. Rursus christianæ religionis olim addicti Angli, vt Romanæ Ecclesiæ dogma integre perciperent, à Gregorio Magno per legatos transmissos enixe petierunt; idque assecuti sunt, interuentu Augustini, Meliti, ac Ioannis eruditissimorũ probatæq. vitæ virorum. Alidulphum, eiusdem insulæ regem, ob religionẽ, vectigalem Romanæ Ecclesiæ ipsammet sub Leone IIII. constituisse, singulis nummis argenteis per singulas domos quot annis collatis. Henricum quoque Angliæ regem legatos ad Alexan-

Orientalis Ecclesia quoties vnitur Romanæ.

Romana Ecclesia omnium aliarum caput.

Lucius Britanniæ rex à Romana Ecclesia Baptismũ recipit.

Alidulphus rex Britãniam Rom. Ecclesiæ vectigalẽ constituit.

Alexandrum tertium transmisisse, ad sese expurgandum de diui Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi nece, ipsiq. Pontifici satisfecisse, regniq. titulum in postremos transiturũ ea conditione recepisse, vt in regno pro viribus Ecclesiasticam libertatem foueret. Qua fide, qua pietate, Hadrianus IIII. Britannus pontifex Romanam Ecclesiam rexerit, facillime conijci potest; quòd illius zelo Arnaldum hæreticum vi ab vrbe eiecerit. necnon Gulielmum Siciliæ regem Ecclesiæ repugnantem anathematizauerit, regnoq. priuauerit. Cur hæc Helisabeta? ij iam Britanni religiosi & prudentes fuere, nouerunt in hac ipsa Romana Ecclesia iactum & auctum veræ catholicæ Ecclesiæ fundamentum: tu autem sola allucinata, obedire detrectas, at detrahis, contemnis, vt Caluino adhæreas? Helisabeta Regis Vngariæ filia, ob vitæ sanctitatem à Gregorio nono in sanctarum numerũ refertur. Tu vero inter schismaticas collocaris. Eudoxia mulier probatissima Theodosij Imperatoris neptis, ab Hunerico viro Vandalorum rege Arrianis fauente recedit. tu à Romana Ecclesia recedis, vt hæreticis faueas. Amalasiunta Theodorici filia omni studio catholicis fauit, & hæreticos oppugnauit. Tu catholicos oppugnas, vt hæreticos subleues? Theodolinda Longobardorum regina christianæ fidei studiosissima semper fuit, Romanæ Ecclesiæ assidue paruit. Tu Caluini illusionibus inuigilans, Romanam Ecclesiam spernis? Cesarea Persarum regina, clam à viro aufugit, sub Vitaliano primo Pontifice, vt saluberrima baptismatis aqua abluta, Romanæ Ecclesiæ claritate fulgeret. Tu hanc ipsam effugis, vt Caluini cæcitate obumbreris? Romani Pontificis dignitatem, auctoritatemq. paruipendis? ex iam dictis abunde patere Romanos Pontifices, veri Christi ac Petri (cui clauium potestas iam tradita) successores, ac humana forma terrestres esse Deos subdubitandum non est. Prætermitto multorum adhuc miracula, quæ certissimam redolent diuinitatem. Prætermitto eosdem Spiritus sancti gratia (vt re ipsa pa-

Henricus Regni Britannici titulum ab Alexãdro iij. recipit. Hadrian⁹ iiij. Pontifex Britannus.

Mulieres quamplures religioni addictæ.

potestatē apparebit? Constantinus Imperator, e Soracte monte Siluestro Pontifice euocato, aureo diademate gemmis distincto ipsum per ornauit, sacris cōstructis templis, Ecclesiæ occidentale condonato imperio, in orientē trāstulit domiciliu m. Iustinus Imp. ad Hormisdam Romanum Pontificem, Lega tos pluribus cum muneribus transmittit: eiusdemq. auctoritatem omnium supremam fatetur. Ioannes Constantinopolitanus, Episcopus qui ab eodem Pontifice monitus, vt Euthichianam hæresim abiiceret, minus paruit, fulmine percussus interiit. Ildericus Vandalorum rex, nonne ad eundē pontificem in Ecclesiarum ornatum copiosissima munera transmittit? Non ne Armeni Ioannis III. Pontificis auctoritate ac sanctitate incensi ad Christi fidem, catholicamq. Ecclesiam peruenerunt. Tui Britanni, Helisabeta, nonne Gregorij magni dignitate impulsi Christiani nominis incrementū, vt supra relatum, adepti fuere? Carolus Francorum rex in Pontificiæ auctoritatis augmentum, non ne Hadriani pontificis deosculatus est pedes? Paleologus Impeꝛator cuius iam memoriam egimus, nonne in Lugdunensi concilio Gregerio X. subiicitur? Leo primus non ne Attilæ sæuissimo hosti Italiam vastanti occurrit, & ne vlterius progrediatur, præcipit? ille vero obtemperat, & cum exercitu Pannoniam repetit? Anastasius II. anathemate percutit Anastasium Imperatorem, quòd Acatio hæretico faueret, & ille à sententia recedit Gregorius III. Leonem Imperatorem pontificis mandatis minus obtemperantem imperio priuat. Gregorius VII. Henricum Imperatorem Ecclesiam vexantem, execrat, imperioq. spoliat. Alexander III. schismate superato Fridericum Imperatorem, qui Ecclesiam impugnauerat, sese Pontificiæ auctoritati subiicientem pedesq. deosculantem recipit in gratiam. Hadrianus IIII. Anglicus iam dictus, Guilielmum Siciliæ regem, quòd suæ restitit voluntati, anathemate afficit, regnoq. priuat. Ambrosius Mediolanensis Episcopus Theodosio Imperatori Arrianis fauenti Ecclesiæ negat ingressum, & auctoritati paret. Si ea est Episcopali dignitas, quid de pontificia dicendum? hæc redolent diuinitatem, Helisabeta, an non? Pontificis authoritas, qua Imperatores coronantur, Reges vngūtur, Cardinales, ceteræq. dignitates subordinantur,

dinantur, spernenda erit. Homunculus est, si hominem dicere fas est, vt plurimum senex, imbecillis, humili admodum loco sæpius natus, ea tamen fulget dignitate, atque auctoritate, vt eius nutui pareant Vrbs, & Orbis totus. Vnde hoc, nisi ex certa latentis diuinitatis vi? & ne vetustiora vlterius recenseam, non ne hoc ipso die ea est Sixti V. authoritas, & dignitas, vt oculi ictu Italiam facinorosis ac perditis hominibus expurgauerit, arma iam togæ cesserint: Reges æquo animo pareant: hæretici timeant, nec non ad huius Ecclesiæ gremium redeant. Heluetij iam resipiscunt ab hæresum labe ac tenebris, ad veram hanc lucem anhelant. Cõtemnenda est ne hæc dignitas, vel veneranda? terrena est, an diuina? profectò excussis ab oculis Caluini squammis, sublata cordis duritie, superbiæ nebula dissipata, diuinam esse, fatẽdum est. Obumbratur aliquando mortali affectu, & sol nubibus contegitur: candor tamen illæsus remanet semper. Pontifex etsi terrestris sit Deus, & diuina maiestate imbutus, & tamquam homo à recta possit recedere, diuina nihilominus illa maiestas, dignitas illa semper eadem: eodem semper fulgore nitet; nec de Pontifice iudicium reddere hominum est. Si quidem & ipsa Ecclesia iudicium facere renuit sæpius, centum namq. octoginta Episcopi, Sinuessæ, quæ ciuitas Latij est, congregati, de Marcellino Pontifice sese vltro accusante, iudicium ferre recusarunt. Tu sola, vti aliis purior, & perspicacior Helisabeta, iudicabis? eiice de oculo trabem, vt festucam videas: est qui iudicet, & retribuat Deus: nostrum iussa capessere, & obedire. Hæc omnia vera esse, vt fatearis, iam tibi veritas suadet, conscij animi stimulus vrget, non annuis? detrectas? negas? amor tui ipsius te cæcutientem reddit: Caluini ficta libertas, vel potius seruitus, à recto reuocat cursu: leuis muliebris superbiæ aura, quæ te nunc extollit, iamiam deturbabit, deprimet, dissipaberis tamquam nebula à facie venti. Cherintus, Nicolaus, Faustus, Donatus, Arrius, Manichæus, Euthichius, & alij innumeri, quorum

Sixti v. authoritas.

Hæresiarcha complures.

ex te perditio tua. Maxime Sixte, Optimi Principes, Christianæ Respub. incircumcisum est mulieris cor, tamquam aspis aures obturat, prurientibus aperit: iam non amplius verbis, sed armis agendum est: iustum indicite bellum: suadent, læsa religio, perturbata Ecclesia, pontificiæ dignitatis iniuria, publici honoris macula: suadent temporis opportunitas, loci natura, hostium qualitas: expetunt profusis etiam lacrymis Italia, Vrbs Roma, catholicorum vulnera, & cruciatus, aliorum oppressio, calamitates & querimoniæ, non deerit in Sixto diuina illa auctoritas, qua fulget: non deerit, Principes, in vobis prisca illa Romana virtus: non deerit in Senatu præclarissimarum ciuitatũ consilium ad perniciosum hostem cohercendum. Vos omnes quodam silentio omnia, communi voce ad hoc ipsum bellum excitant. Tempus adest, ver enim redolet, vndiq. tepescit aer: miles ex hibernis reuocandus est, iam in agro degi potest: freta mitescunt, nec ex more Anglicanum tumescit; verum placidas præbebit vndas, ethesiis, non austro vel circio efflantibus ventis, ad classem excutiendam, tempus & congruum adest: nam diu, satisq. mulieris petulantia euagata est, incensi sunt ob illatas iniurias omnium animi. Iacobi Scotorum regis iuuenilis ardor euocat omnes, qui tantum ab Anglicanis finibus Tueda, ac Solueo fluminibus, & confractis Cæsaris aggeribus disiungitur: adeo feruet ob sæuissimã recẽtem matris necem, vt supra vires exercitum, aliaq. ad bellum necessaria paret, nec de fide vel ætate verendum est. Nam quid iustus dolor non potest? Ad quid animi ingenuitas non incendit? Ad quid læse libertatis desiderium, & vindictæ cupiditas non impellunt? Iuuenilis Aphricani audacia nos certiores reddit. Septentrionalis regio Scotia est, continuis montium iugis aspera, nec longo maris tractu ab Orcadibus disiuncta, propterea militem fortem, acrem, bello assuetum, & natura Anglicano infestum, & hostis morum non expertem, exhibebit. Henricus Gallorum rex Christianissimus, animo quoq. æstuat, ob flagitium ab immani muliere, in lectissimam, ac laude dignam Mariam Scotorum Reginam sibi sanguine coniunctam, præter spem, contraq. datam sponsionem patratum, & ob vexata sæpius Gallicana littora à Drago pirata, maxima cum incolarum

Iacobus Scotorum Rex.

Scotiæ breuis descriptio.

Hẽrici Gallorũ regis encomium

colarum iactura. Viget, viget inquam in Henrico priſca illa Caroli Magni, Pipini, Ludouici, & aliorum pietas in Romanam Eccleſiam, in Pontifices, in Chriſti religionem, qui propugnatores, ac defenſores ſæpius fuerunt, grauiſſima pro eiſdem bella geſſerunt, barbarorum copias profligarunt: ſic vt quàmplurimos Chriſtianos Principes in hoc genere laudis ſuperauerint: & adeo viget, vt ex lacerato, a ciuilibus diſſenſionibus, & hæreticorum pertinacia regno auxiliares copias, & milites ad neceſſarium bellum ſubminiſtrabit. Religionis pietas, innocẽs Mariæ ſanguis, optimæ indolis filij lacrymæ excitant, & in dies magis expetunt. Tempus ſuadet, nam Catholicus Philippus à mulieris petulantia, tot iniuriis laceſſitus, in Luſitano, Hibericoq. freto: ad belgicas etiã oras, munitiſſimam claſſem, inſtructas militum copias, exercitum omni armorum genere paratum offert, iure ſibi debitum recuperare, non vaſtare Britannicum regnum maxime cupit, catholicus catholicis opem ferre nititur. Nam quis in Chriſtianam religionem ardentior? quis in ſacroſanctam Romanam Eccleſiam propenſior? Quis ad pontificiæ dignitatis defenſionem promptior? Quis ad hæreticos, ac religionis hoſtes proſternendos acrior, & ſolertior? Quis maiori cura hæreticam labem diluit quotidie? At quid mirum? cum à Caroli V. patris pietate non recedat, qui ſummis vigiliis, ſummisq. laboribus totius vitæ curſu enixus eſt Romanæ Eccleſiæ hoſtes delere: dicat Germanicum bellum in Axium Mauritium, & alios: dicat Tuneti expugnatio, Aldigerij ſummo periculo tentata: dicat cum Solimano in Pannonia congreſſus: hæc paternæ pietatis, ac religionis monumenta ante Philippi oculos verſantur: menteq. voluit omnia & æmulatur: diuturna bella non minus felici ſucceſſu, quàm pia mente in Flandria teſtantur. Satisfaciet igitur in hoc ipſo vrgenti bello omnium opinioni, ſpei, eiusq. probatæ fidei: omnia ſane ab optimo Principe expetenda ſunt & expectanda. Hic belli neruus ac firmiſſimum propugnacu-

Catholici regis Philippi laus.

cesse est. Quid demum de te Maxime Sixte dicam? de diuino agitur cultu, de pôtificia qua fulges tractatur dignitate: de hæretica labe diluenda discutitur. Si Leo pontificia auctoritate Attilam immanissimum hostem ab Italiæ finibus reiecit, fortissimus tuus leo. non hanc mulierem e regno repellet? Si tot alij Summi Pontifices, tot Imperatores, ac Reges regno priuarunt: tu qui nomine tantum tot sicarios Italiam infestantes, ad nutum expugnasti, qui religionis feruore maxime ardes, ære munitus, auctoritate conspicuus, rerum præclarissime gestarum numero insignis: tot principum armis suffultus, mulierem hanc non prosternes? hanc labem non delebis? hoc zizania sanctissimæ Ecclesiæ agrum non purgabis? iam tui nominis auctoritate consternata parat ad fugam locum: bellum iam indicas, en Magnus Hetruriæ dux, insimul Sabaudiæ, qui tanquam Spartanus Leonida ad Termopilas in Alpinis iugis hæreticorum furori sese obiicit semper. En alij Itali Principes, & Resp. tuum expectant nutum, sub tuis felicissimis auspiciis Ecclesiæ signa sequi ardêti desiderio expectant. Iam igitur moueantur. Suadet & locus: Britannia enim triquetra insula est, quæ à meridie in septentrionem protenditur: à promontorio quod vectem insulam prospicit ad Cathanæsiam postremam Scotorum partem 800. milliariorum numero continetur, & ambitu 1720. cingitur: à septentrione dirimitur Scotorum finibus, Cornubiensis vltimus eiusdem terræ tractus, versus Hibericum fretum, atque Hibernicum protenditur, à Gallicano littore, ad Cantium ipsius insulæ promontoriũ tantum disiungitur: freti latitudine milliariorum triginta. Sic vt olim Cæsar, hora noctis soluens, in meridiana ad Anglicanos appulerit sinus: insula non vt olim incognita, sed maxime nota, certi sunt portus, sinus vndequaque explorati, mare sæpius tempestate tumescit: hinc nauibus ad littora difficilis aditus, anchoræ funes nautæ minus subsistunt. Hæc vt plurimum æquinoctio eueniunt: minus æstate, sique grauioribus nauigijs, vtatur nauta tutior spumantes euitabit fluctus. Suadet vobis hoc ipsum bellum, hostis qualitas: nam mulier est, sexu fragilis, viriũ expers, consilio præceps, ordine varia, miles non pellibus vestitus, non luteo infectus, quod colorem efficit cæruleum, vt horri-

Britanniæ descriptio.

horribiliori in pugna appareat aſpectu, non capillo promiſſo, & omni corporis parte raſa, præter caput, & labrum ſuperius, vt olim erat, ſed mollibus veſtibus vtens, & Caluino otio effœminatus, regnum in ſeipſum diuiſum in Catholicos, & proteſtantes, itaque facillime corruet: regio ſui natura non admodum fœcunda, ac ſegetũ ferax, ob ſeptemtrionale, quo plurimum afficitur frigus. hinc accolæ veſtri exercitus aduentum minus ſubſtinebunt, ſed terga dabunt: aut cum ardentiſſime cupiant, è graui tyrannidis iugo ceruices ſubtrahere, in ipſam tela vibrabunt. Si iam Cæſar, leui exercitu, claſſe bis vi tempeſtatis diſiecta, inſulam minus notam ſubegit, idque breui temporis curſu. Si Maximianus, (vt alios complures prætermittam, qui eandem expugnarunt) diebus paucis recuperauit, vos omnes inuicti Principes, munitiſſima claſſe, multis copiis, inſtructo exercitu, equitatu, peditatuq. breui tempore non expugnabitis? pro religione certatis, ſi Deus pro vobis, quis contra vos? ceſſit iam Romano imperio, Romanæ Eccleſiæ Aſia, ſenſit ipſorum imperium Aphrica, ſenſit, & Europa, armorum robur expertæ ſunt, vetuſtiſſima Hieruſalem, fortis Numantia, ſuperba Cartago, fortiſſimis reſiſtentibus viris: Britannorum inſula, debili muliere oppugnante, non cedet? Veſtras non experietur vires? Corſica, Sardinia, Sicilia, Cyclades, & aliæ quamplures inſulæ, Romanæ ditioni paruerunt: tantum Anglia nefaria in libertate immunis erit? iam Caluini figmenti ſatietate defeſſa eſt: à priſca iam illa pietate ac religione, quibus olim ſummopere floruit, excitatur, ad ſuauiſſimam Altricem Romanam Eccleſiam hilari vultu redibit, ad arma contendite, bellum indicite. ſubdubitatis fortaſſe quem Imperatorem, vel Ducem exercitui præponatis? En habetis Gulielmum Alanũ Præſulem ampliſſimum, virum prudentia inſignem, probata fide clarũ, religione feruentem, experientia ſcitiſſimum, auctoritate inter Britannos maxime pollentem, circumſcribet, propalabit hic inſulæ formam, qualita-

Gulielmi Alanui Car. laus.

Alexād i Farnesij Ducis Parmensis.

bellis gerēdis alterū Alexandrū, rei militaris disciplina alterū Cæsarē: hic inuictissimas hæreticorum vrbes expugnauit, validissima castra, præsidiaq. deleuit: hic rerum gestarum gloria illustris: integritate, virtute, fortitudine, ac constantia singularis, sic vt re ipsa sese Romanum exhibeat, cuius denique laudum difficilius est exitum, quàm principium, inuenire. Nouit hic Britannorum vires, & mores: nouerunt & ipsi eiusdem vires & gloriam, venerantur, & timent: pauor iam concutit omnes. Si igitur Principes religionis amor, Ecclesiæ dignitas, Pontificiæ auctoritatis stimulus, publici honoris ardor; conseruandæ libertatis desiderium, ad hoc bellum conficiendum, vos impellunt; si tempus, locus, iustus dolor, & hostium qualitas suadent, soluite quæso naues, mouetæ signa, iungite castra, educite arma contra hostes, qui polluerunt templum sanctum, posuerunt morticinia Catholicorum escas volatilibus cæli, carnes eorum bestiis terræ, effuderunt sanguinem ipsorum tamquam aquam: facti iam sumus opprobrium vicinis nostris, subsanatio & illusio iis, qui in circuitu nostro sunt: vltio sanguinis, Maxime Sixte, seruorum tuorum, qui effusus est, intret in conspectu tuo, cum gemitu compeditorum, redde septuplum in sinu eorū, ne forte dicant, vbi est Deus eorū: adiuua eos propter gloriam nominis tui, vt his deuictis hostibus communi voce dicere possimus: Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est, equum & ascensorem proiecit in mare, fortitudo, & laus nostra Dominus, & factus est nobis in salutem, dextera tua magnificata est in fortitudine, percussit inimicū, & in moltitudine gloriæ tuæ, deposuisti aduersarios tuos, & deuorasti eos sicut stipulam. Quis similis tui in sanctitate? terribilis, atque laudabilis, faciens mirabilia. siq. Principes, hoc perficietis bellum, vt omnium spes est, Ecclesiæ Romanæ dignitatem, vobis ipsis honorem conseruabitis, miserrimæ insulæ salutem restituetis, legitimiq. certaminis coronam accipietis, & quantus est terrarum orbis, in generatione & generationem laudem vestram renunciabit. Dixi.

FINIS.